Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 115
Quelle:
Copyright:

exaratus, literis capitalibus picturatis, minioque distinctus complectitur I. lineis longis *Libros Machabaeorum*, quorum prior Breviarium *Capitum* LVII. ante se, posterior vero *Capitum* LV. post se habet. Textus quandoque levius a Vulgata variat. Ita L. I. c. 1. *virtutem exercituum* pro *virtutem et exercitum. Et tenuerunt pueri ejus* pro *obtinuerunt. Radix peccati* deleto *rix*, quod jam scriptum erat. *Justitias gentium* pro *justitiam.* L. II. c. 12. *offerri pro peccato sacrificium* pro *offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*, magis videlicet ad graecum περὶ ἁμαρτιας θυσιαν. &c.

II. deinceps manu luculenta Sec. VIII. columnis 2. angustis: *Incipit Epistola Ad Romanos.* Sequitur *Ad Corinthios Prima, Ad Thessolonicenses*, quae est II. denique *Ad Philamonem.* Textus hic *Pauli* in minores Περιικοπας divisus est, quarum Epistola I. censet 51. II. 71. III. 9. et IV. 4. In I. Membranae compactoris vitio aliquantum turbatae sunt. Calami errores non adeo frequentes occurrunt.

III. et quidem *fol.* 118. eadem conditione succedit Series *Homiliarum* seu *Lectionum* XVIII. *Gregorii* M. et *Augustini*, quas oportet excutere. 1) *Omelia Sancti Gregorii De Decem Uirginibus.* Init: *Saepe uos ammoneo fratres karissimi praua opera fugere* &c. Est L. I. *Homiliar. in Evang. n.* 12. ut edit. *Maur.* T. I. *col.* 1476. 2) *Omelia Lectionis Ejusdem*, id est, Evangelii sec. *Lucam* C. 8. v. 4. Init: *Lectio Sancti Evangelii quam modo* &c. ut T. *cit. col.* 1488. n. 15. 3) Sub hoc Rubro: *Quae sunt instrumenta bonorum Operum*, longa Enumeratio Officiorum Perfectionis Christianae, quae incipit: *In primis dominum deum diligere ex toto corde tota anima tota uirtute; deinde proximum tamquam seipsum; deinde non occidere, non adulterare* &c. et concludit: *Officina uero ubi haec omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterii et stabilitas in congregatione.* 4) *Incipit Lectio de Nativitate Domini. In primis de Incarnatione D. N. J. C.* Ita: *Legimus moysen populo dei praecepta dantem* &c. Nulla *Augustini* mentio; recte etiam a *Maurianis* in *Adpend.* T. V. *col.* 401. amandatus Sermo, quamvis vetustus. 5) *Incipit Sermo Sancti Augustini De Nativ. D. N. J. C. De Concepto Sanctae Mariae.* Ita: *Castissimum marie uirginis uterum* &c. Eodem remissus ad *col.* 324. inventus tamen etiam in Codicibus admodum vetustis. 6) *Incipit Sermo Sancti Gregorii In die Natalis Domini.* Ita: *Quia largiente domino missarum* &c. ut T. *supra c.* L. I. *n.* 8. *col.* 1460. 7) *Incipiunt Omelias* (sic) *Lectiones De Theophania.* Ita: *Hodierni diei per uniuersum mundum* &c. Est *Augustini* IV. *de Epiph. Opp.* T. V. *col.* 914. 8) *Incipiunt Omelie Sancti Agustini Episcopi De Epiphania.* Ita: *Intellegere possumus fratres karissimi quantam gratiam* &c. Sermo rejectus in *Adpend. col.* 242. 9) *Euangelium Ubi D. N. J. C. Baptizatus est Idemque Ut Legitur*